

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 71.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos.*

Elysium-Meum.-Die Martis 10 Oct. 1809. (Neov 22. Sept. 1809.)

Lloyd — cuidam Generali Duci.

Quod in scriptis meis demonstrare adniterbar: decem videlicet mille Tataros Tibetanos occupandi terras animo egrediente, inque armorum vicem fustibus provisos, tota Europa potiundo esse; id eventis hodiernorum temporum sat superque probatur. Legantur opera mea, combinatio instituatur, — & — *cætera textus habet.*

Interim adjunctorum, & modi, quo bellum hodie geritur, rationem, ab ea, quæ mea ætate vigebat, magnopere discrepare deprehendo. Studeo genio seculi, exque eo necessitatem Culturæ pro milite bellorum tempore deducturus — quam diductionem Dom. tuæ dedicans, cuius martio viro meditationis, eruditionisque causa substerno. „Cultura mentis pollens, in quibusvis, quæ eum circumstant, in omnibus agendis ipse cogitat, non alterius fidit ingenio, suis utitur dotibus mentis, & iudicio. In bello honor, fortunæ, vita ipsa disorimini objicitur, non dantur igitur majora pericula, quam quæ bellum accersit; quæ prospere superaturus dexteritatem, &

mentis, & animi præsentiam alacritatemque adhibeat, oportet.

Destitutus *cultura* miles, salutis solum suæ, non Civitatis ratione ducitur. Incidens in periculum, aut dedit semet, aut fugam arripit; at cultus miles, non modo quibusvis difficultatibus sese explicare novit, verum & honorem, patriamque vita potiolem ducit. Promptus ad omnem calliditatem, quamvis opportunitatem adprehendit, hosti, ubi valet, obicem struit; nullo turbatur, & quamdiu spirat, strenue se defendit. Officialis non solum omnes vires hostem debellandi conterendique immolat, sed etiam ad id opportunissima, & expeditissima ratione perficiendum omne ingenium convertit, ut eum ita feriat, ut aut progressus ejus interoipiantur, aut penitus evertantur. Ratio inexhaustibilem subsidiorum fontem ei largitur, nulla re percolitur, in numerato omnia, consilium in arena habet, nulla re angitur, e vestigio remedium reperit, efficacissima media & arripit, & ea adplicare tanta cum promptitudine novit, quanta cum progressus felicitate.

De grege miles *cultura* præditus non agit secundum *litteram* legis superioris sui, verum considerans ejus *spiritum*, finem ejus assequi studet, ob quem ea lata est. Ubivis rem gerit strenue, perspicaciterque, quod officii ratio id exigit. Nullum subit periculum, in quo modum se enodandi non teneret. Eximius ejus finis — hostem delendi, — continuo præ oculis ei versatur. Occumbat ejus du-

stor, adest e vestigio peritissimus, fortissimusque, qui præit socii, nullius cædes, vulnus nullius *totum* interrompere valet; ad finem id deducitur — aut omnes occumbunt, aut victoria consequitur. — Clades, fuga, adprehensio, ignota sunt vocabula culto militi, horum ignarus est.

Hæc pugandi, agendive *culti militis* est ratio; nec datur majus in in humanum genus facinus, gravius in honorem gentis cujdam delictum, calumnia, aut oppressione culturæ, — qui propria vi cogitat, is cogitat, agitque recte; & hoc est *culto viro* solenne.

Expertus, & peritus dux, militis causam agere novit. Erant multi *idiota* militares Officiales, quorum judicio miles censebatur machina. — Duris stipitibus, sudibusque præstitis alacritatem & animositatem inculcandam existimabant, — absit! his sensus honoris suffocatur, amor patriæ fomentum subtrahitur, omnes mentis elateres evertuntur. — Gregarius miles spem suam non ad unum *Corporalis* militaris munus restringere debet, ad gradum Generalis Ducis provehendo sit, ad quod impetrandum, ampla portione *honoris* sensus deponitur, qui vili tractandi ratione profecto non obtinetur, sed opprimitur.

Vere vita militis, austerum vitæ genus est. *Miles*, corpus ad abstinentiam, continentiam, æstum frigusque obturare debet. Stomachus ejus jam tenui Spartano victui, jam jejunio poenitentis asvescere debet. Sæ-

pe matri terræ durius incubat, quam stramineæ monachus culcitæ. — In itinerando cunctos cursores prætet, vigilando omnes Coenobitas, sacrasque virgines, quæ psallendo & orando noctes, aut multam noctis partem transigent; — mox dicetur — *olim transegere. Eum non oportet opum adpetentem esse; summum ejus bonum: gloria & virtus bellica: quod si — quisquis pro merito absque natalium ratione locum, quem in militia tenet, adipiscitur, tam debet potestque molimen venerabilis talis Corporis successum habere*” — hæc de statu militari! —

Politica negotia quod attinet: mirum videri debet: pacem Russiam inter & Sveciam nondum resitutam esse. — Creditur plenam ejus cum diversis definitionibus conclusionem in Universali Continentis Pacis Congressu secuturam. Sveci reapse die 18, 19, & 20. Aug. cum Russis conflixere, *Umsam* recuperare, & Russos ingressu in provinciam Angermanliam prohibuere. Id porro memoratu dignum: Principem Holatato Augustanum *Christianum* declarasse: se non alienum a suscipienda dignitate Coronæ principis, ast non nisi — resituta pace.

Memorabilis *Helsingora* de 11. Sept. nuntium: — Die 6. h. m. Classis 170 navium in comitatu a celocium, & minorum, ex Sundico Balthicum fretum præteriit: Tres in Balthico hætenus consistentes lineales eam sequebantur; at die 10. hujus ampla rursus bellica & transvectoria, 200 ultra navium, qua-

rum 30 circiter bellicæ, plurimæ mediæ molis, ex boreali regione vento ortum inter & boream medio, Balthicum prætergressis; Kaslandburgo 270 vela numerabantur, & 50 bellicæ naves, 4 tormentis oppletæ. Opinio est: Classem hanc præter navigia mercatorum bellicis quoque & aliis constare, quæ copias Classis Russicæ in Angliam sub Gen. Duce *Siniavin* in Russiam reducit. Constat: has copias nuper Anglicana ora solvisse, quod ipsum argumentum est itineris legati Russici *D. Lisakewitsch* Hafniæ residentis Helsingoram. — Ex quo colligere volunt: huic dimissioni Captivorum Russorum tractationem Angliam inter & Russiam præcessisse, aliæque adhuc ex eo oritura consecutaria. —

Ad hæc seqv. quoque *Londino de 12. hujus* attentionem meretur nuncium:

Chartæ nostræ publicæ his diebus multam subiverunt *Crisim*. — Spargebatur, Lordium *Wilhelmum Bentink* Continentem petiturum, ut, qua plena rerum gerendarum potestate instructus, Congressui intersit.

Biduo rumor hic ferebatur, alii contra contendunt: ejus itineris aliam prorsus rationem esse.

Res hollandicæ Indiarum orient. & occidentalium societati propriæ, ab Anglis *Middeburgi Walchriæ* deprehensæ, ut justa præda probabiliter declarabuntur.

Ut primum Londini percrebuit: gratæ dem expeditionem ad solam occupationem *Walchriæ* restringi, acro bellum litterarium coev

pit, inter utriusque partis Ephemericum Scriptores — at fidedigna ministerialis Ephemericis ex officio ferme scripta cum evidentiâ asseverat: Anglicanas copias omnem operam daturas, Walchriam, præptimis Vlissingam retinendi.

His accedit seqv. ex *Mercurio Stuttgardensi* novitas, ceu res memorabilis prioribus connexa:

Lindavia die 15. Sept. Ex Judicio adversus Ante Arulanæ prov. Inurgentium primipilum Do&. Schneider instituto, elucet: Anglicam opinione prima majorem tumultus, in Tyroli & lacus Bodamici regione, partem habuiss. —

Augusta 17. Sept. Hæc ipso tempore duo planstra in comitatu 22 loricatorum Monachio adpulerunt. Uno eorum continebantur 3 Clerici Tyrolenses, altero: famigerata Comes a *Sternbach*, quam erumpente in Tyroli tumultu admodum negotiosam personam egissa, & comprehensam esse, constat. —

Lindavia nunciatur: Ex litteris Regionum Bavaricorum Officialium & prov. ante Arulanæ subditorum, continuo in favorem Doctoris Schneider argumenta percipi, quæ servitia, quæ iis occasione tumultus præstitit, probantur; — *Urbs Püssena* actutum a seditiosis præsidio teneri dicitur.

Parisiæ de 16. Sept. paginæ hæc memorant: Nudius tertius Senatus congregatus est, ad electionem proponendorum Imperari pro munere Cancellarii & Prætoris hoc anno Candidatorum. Secundum nuncios Lil.

leo exercitus 40000 armatorum, in & circa hanc urbem subsidiarius stativa subiturus est.

Litteræ *Bajonna de 9. c. m.* hæc continent:

„Fama fert de novo commodo, quod Gen. Dux *Suchet* de copiis sub Blakeo, Gironæ subsidio venire volentibus, retulit. — *Suchet* hosti occurrit, eumque cæcidit in elegante, quam ad Dominicum de Legno tenebat, positione; eo peracto, copias nostras vallem *Roncaliæ*, quo prædatoria colluvies, se recepit, munivit, communicationemque omnem intercipit, penetraverunt, eamque dispulerunt. — Novissimæ *Madritæ* litteræ hunc texunt dislocationis exercitus, metropolim protegentis, ordinem: primum agmen sub imperio *Mareschalli Victor* in & circum urbem *Toledum*; secundum sub imperio *Mareschalli Soult*, *Placentiæ*; 4. sub Gen. Duce *Sebastiani*, *Aranquesii*; 6. sub *Maresch. Ney*, *Salamancæ*, — his diebus Cohors *Pelonorum*, res vectoria, pluraque *Depositorii* agmina in summa 12—15000 hinc *Hispaniam* petiere.

Dislocatio Gallici in Germania exercitus.

Ulma 21. Sept. Litteræ ex principe *Gallico* hospitio publicis paginis contineri memorant, seqv. *Gallici* exercitus statum: agmina *Exercitus* hactenus *Italici*, sub imperio *Proregis* & *Maresch. Tarentini Macdonald* occupabant in dextra ora *Danubii Gallicis Copiis* cellum tractum *Hungariæ* & *Syriæ*; princeps eorum hospitium *Jaurinum* & *Græcium* —

Agmen subsidiarium exercitus Italici sub imperio Gen. Ducis *Baraguay d' Hillers* littorale insidet, Carinthiam & Carnioliam. Regium Saxonicum sub auspiciis Gen. Ducis *Regnier* agmen in & circum Posonium stationem habet, eo quoque proficiscitur a fine Augusti factarum dispositionum intuitu exercitus Gallici, vigore, Copiarum agmen Mareschalli Ducis *Reggii (Oudinot)* ad hoc in & circa Vindobonam stationem habens. —

Agmen Mareschalli Principis *Eokmühl (Dauoust)* Ducis *Auerstad.* occupat orientalem Moraviæ partem cum principe hospitio *Brunæ.* Agmen exercitus Mareschalli Principis *Ezlingen (Massena D. Rivoli)* occupat occidentalem Moraviam, princeps hospitium habet *Znoïmæ;* quod Maresch. *Marmont,* Duci *Ragusani,* subest copiarum agmen, hætenus borealem Danubii oram insidens, atque usque limites Bohemiæ ab urbe *Stein* se extendens, Moraviam versus se promovit. Militia quoque *Cæsarea Prætoriana* in prociñtu est, quotidie quoque Posonium proficiscendi jussu opperitur.

Gravis Equitatus exercitus, perinde stationes ex utroque Danubii littore deseruit, Hungariam petit. Agmen Ducis *Dantiscani* priorem in Austria superiore & *Salisb.* stationem retinet.

B I O G R A P H I A.

Lloyd, peritus militaris scriptor — Bello septennali stipendia fecit in Austria, cum aliquanto tempore vixit in Anglia, itinera diversa confecit. Eius opera, quantumvis multa paradoxa, quæ experientie superstruxit, contineant, hodie tamen gravis argumenti, & doctrinam præbeatam lectionem efficiunt. Obiit circa an. 1789.